



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

II. De obligatione subditorum circa Tributum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

adiciunt, in presenti solum de Principis Tributis impositis, de Iudice, Teste ac Reo agendum nobis est. Requiro igitur, quisnam possit tributum aut gabellam imponere? Qui Superiorem non habet in temporalibus, vel cui ipse id concesserit, vel consuetudo præscripta.

2. An Episcopus possit? Potest quidem in Ecclesiis, sibi pleno iure subiectis cum Capituli consensu ex causa tributum, seu pensionem imponere.

3. Potest ne dominus temporalis, aut communitas inferior urgente necessitate imponere tributum aut talliam? Potest; non enim id prohibitum, sed gabella ordinaria populum grauens.

4. Potest adesse tyrannis in tributo? Tyrannicum est, si causa non sit iusta. Imo si licet iusta sit, non sit proportionata, ita ut vires Regni ac populi ~~non~~ excedat, alioquin erit tyrannicum.

CAPVT II.

De obligatione subditorum circa tributa.

5. Debent ne subditi tributa soluere? Debent prorsus, si iuste sint imposita.

6. Potest ne Princeps tributum per vim aut metum extorquere? Potest equidem, quando causæ exigendi iustæ sunt; quia illud Principis est.

7. Quodnam peccatum committunt vectigalia iusta fraudantes? Si materia sit sufficiens ad mortale, mortaliter delinquant, & ad restitutionem tenentur. Scio à Maldero & aliis contrariam sententiam defendi, quam reiiciendam existimo.

8. Dubitatur, an vectigal sit iuste impositum, & sunt utriusque probationes: solui ne deber? Soluendum cenfeo; quia in dubio pro Rege præsumendum, Vasquez auctore.

9. Obligant ne noua gabella? Non obligare aliqui affirmant, nisi constet legitimè impositas. In dubio dixi pro Principe præsumendum de iustitia. Si gabella sit antiqua, non dubium quin pro Principe præsumi debeat, cuius possidentis melior conditio.

10. Sunt ne soluenda gabella imposita pro rebus ad proprium Regis aut Principis usum delatis? Communiter hæc habentur iniquæ, et si quidam id negent si iusta aliàs causa imponant. Iniquas